

Urkunden.

Nr. I.

1192. — Die Grafen Diedrich V. und Arnold III. von Cleve vermachen der Kirche zu Wissel den Novalzehnten der Insel Wissel, befreien alle Schenkungen an dieselbe von allen Lasten und geben den Kanonikern das Triftrecht.

In nomine summae et individuae trinitatis patris et filii et spiritus sancti. Notum fieri volumus cunctis fidelibus tam futuris quam presentibus, qualiter ego Theodericus comes Clivensis unaque frater meus comes Arnoldus, divina inspirante clementia et bonorum virorum honesta petitione commoniti, decimam novalis insulae Wisschel. ecclesiae et fratribus ibidem deo et beato Clementi famulantibus in annuales redditus patris nostri et matris recolendos promta voluntate et benigno animo donavimus; sed quia pietatis opera semper novocari solent invidia, ergo ne huius facti memoria ullius hominis evacuari possit inopia, presentem paginam conscribi volumus et sigilli nostri impressione roborari fecimus. In perpetuum concedimus, quod si quis devotionis intuitu bona hereditario iure possessa vel iusta emptione contracta imposterum Wisselensi ecclesiae contulerit, ab omni exactione et gravamine libera et nostra sub protectione et quieta ab omnibus contributionibus mansura, areas et domos canonicorum in pascendis pecoribus et ad aquandis libere possidendi plenariam potestatem in perpetuum et inconvulse donavimus. Datum in hoc anno dominicae incarnationis M.CXCII inductione XI. epact. XV. regnante Henrico, presidente s. colonensi ecclesiae Brunone archiepiscopo, his testibus presentibus: Theodericus prepositus, Conradus magnus, Lambertus, Basilius, Conradus, item alii canonici omnes. Arnoldus camerarius et Joannes frater suus. Henricus pincerna. Philippus de Linnepe. Theodericus de Winteren. Walter. Bavo.

Nach Kopien im Staats-Archiv zu Düsseldorf.

Nr. II.

1303 Juli 26. (Cleve). Graf Diedrich VIII. von Cleve restituit der Kollegiatkirche in Wissel den Novalzehnten der Insel Wissel unter der Bedingung, dass das Kollegium eine neue Präbende kreire.

Nos Theodericus comes Clivensis ad perpetuam universorum tam praesentium quam futurorum notitiam cupimus pervenire, quod, cum ad improvidam quorumdam persuasionem et instinctum intromiserimus nos de decima novalium insulae Wisschel, spectante de iure ad ecclesiam Wisschel, nos demum, gratia nobis inspirante divina, inquisita et reperta veritate in praemissis invenimus nos errasse, unde errorem nostrum eiusmodi recognoscentes et saluti animae nostrae consulere cupientes restituimus in nomine domini dictae ecclesiae pure et simpliciter decimam cum sua integritate qualibet antedictam honorabilibus viris dominis decano et capitulo dictae ecclesiae Wisschel. ex pura fide et sincera devotione, quam ad nos et progenitores nostros hactenus gesserunt et gerunt, arbitrantibus et repprimitibus liberaliter motu proprio vice versa, quod, ut praebendarum numerus et divinus cultus deo ad honorem et nobis et progenitoribus successoribusque nostris ad salutem in dicta ecclesia augeatur, ordinabunt ex dicta decima de novo praebendam unam, uni praebendarum dictae ecclesiae in redditibus coaequandam, conferendam per me et per comitem Clivensem, quicumque pro tempore fuerit, de consilio tamen decani Wisschel. et guardiani minorum fratrum oppidi nostri Clivensis pro tempore existentium actualiter sacerdoti, qui in missis et aliis officiis divinis suisque orationibus nostri, uxoris nostrae praesentis et praeteritae progenitorumque omnium et successorum nostrorum memoriam peragat et absque omni spe licentiae abessendi residentiam continue in dicta ecclesia faciet personalem. Praeterea si quid deductis redditibus dictae praebendae sacerdotali deputandis memoratae decimae superfuerit, placuit dictis decano et capitulo illud inter praesentes annis singulis dividere pro memoria nostra, uxoris nostrae praesentis et praeteritae progenitorumque omnium et successorum nostrorum annis singulis mense quolibet solemniter facienda. In cuius rei testimonium etc. Acta sunt apud Cleve praesentibus et mediantibus spectabili matrona domina Aleyda majori comitissa Clivensi matre nostra charissima, religioso viro fratre Henrico Duisberg guardiano domus minorum fratrum in Cleve, Theoderico

dicto Cortheluef milite, qui sigilla sua ad iussum nostrum hisce litteris apposuerunt in maiorem evidentiam praemissorum.
Datum anno domini M.CCC. tertio in vigilia beati Panthaleonis.

Nach Kopien im Staatsarchiv zu Düsseldorf.

Nr. III.

1337 Mai 14. — Das Stift in Wissel erlässt Ritter Roland von Hagedorn aus besonderer Gunst einen Zins aus dessen Gütern Moyland.

Universis litteras visuris et audituris .. decanus et .. capitulum ecclesie Wischelensis salutem cum notitia veritatis. Noverint quod nos certo ad hoc indictio capitulo et matura per nos deliberatione prehabita pensatisque in hoc utilitate et commodo ecclesie nostre praedictae ob specialem favorem, quem gerimus ad strenuum virum dominum Rolandum Hagedoren militem et ipsius promotionem captandam, de unanimi consensu ac voluntate omnium nostrum remisimus eidem et per presentes remittimus annales redditus unius marce bonorum Brabantinorum denariorum, qui nobis et ecclesie nostre in bonis eiusdem militis dictis super Moylant singulis annis in festo cathedre beati Petri solvi consueverunt, absolventes et quitantes eundem militem a solutione dictorum reddituum nunc et deinceps nobis et ecclesie nostre facienda, obligatione prius per nos et quemlibet nostrum ecclesie nostre facta, quod quilibet nunc in ecclesia nostra canonicus infra hinc et festum beati Martini episcopi hyemalis proximo futurum marcam unam dictorum denariorum de war-satia ecclesie nostre ministrabit ad reendum et comparandum eidem ecclesie nostre redditus memoratos. Dantes eidem militi has litteras sigillo ecclesie nostre ad causas sigillatas in testimonium super eo. Actum et datum anno dni. millesimo CCCmo tricesimo septimo feria sexta proxima post dominicam qua can-tatur iubilate.

Fürstliches Archiv in Anholt. Urkunde auf Pergament mit herabhängendem wohl erhaltenen Siegel in braunem Wachs.

Nr. IV.

1370 October 31. — Das Stift in Wissel vergleicht sich mit Ritter Wilhelm von Wissel über die Novalzehnten der Insel Wissel.

In nomine domini amen. Nos decanus et capitulum eccl-eiae Wisschellensis cupimus ad perpetuam universorum pervenire

notitiam, quod cum strenuus vir dns. Wilhelmus de Wisschel miles, natus quondam dni. Everardi de Wisschel militis, idemque dns. Everardus et sui progenitores a tempore, cuius nulla existit memoria, pro decimis totalis insulae, quam idem miles in castro ibidem sito olim inhabitaverat et nunc de novo in eadem insula in loco quodam alio dicto Clapperskule inhabitare disponit et pro parte inhabitat, nobis et ecclesiae nostrae persolverint singulis annis duodecim maldra ordei, nosque dudum hactenus, postquam dicta insula incepit per alluvium dilatari, moverimus dicto militi suoque patri plurimas questiones pro decimis novalium, quae dictae insulae per alluvium acreverunt. Idemque miles ac eius pater semper responderunt, quod de his, quae dono dei per industrioso suos labores ipsi insulae alluvium adiecisset, nullam nobis et ecclesiae nostrae decimam ampliorem solvere tenerentur eo, quod absolute decimas ipsius insulae Reni subiectae periculis, quibus et minui potuit et augeri, ipsique et eorum progenitores a tempore, cuius non esset memoria, habuissent et adhuc haberent pro pensione hereditaria et annua dictorum duodecim maldrorum ordei per ipsos singulis annis nobis et ecclesiae nostrae solutorum. Et nunc denuo ex inductione et ordinatione viri discreti et honesti dni. Alberti de Blitterswick nostri concanonici dictus miles pro suis et heredum suorum vexationibus redimendis ac amovendis nostris et ecclesiae nostrae querimonis et impetitionibus super decimis antedictis superaddiderit eidem pensioni dictorum duodecim maldorum ordei seu superaddendo nobis et ecclesiae nostrae pensionem annuam seu redditus hereditarios et perpetuos quindecim marcarum brabantinorum denariorum pro tempore usualium et bonorum solvendos ex totali decima totius insulae terminis infrascriptis, quarum quidem marcarum tres marcae dictorum denariorum ibunt et solventur singulis annis in perpetuum pro memoris dictorum quondam dominorum Everardi et Wilhelmi patris sui et suorum avorum et progenitorum, prout hae in libro nostro memoriarum sunt conscriptae et ordinatae, residuae quae duodecim marcae annuae iuxta nostram ordinationem in nostros et ecclesiae nostrae usus loco dictarum decimarum novalium convertantur. Nos convocatis propter hoc convocandis et tractatibus plurimis ac deliberationibus prvidis praehabitis, commodis et utilitatibus nostris et ecclesiae nostrae in hoc pensatis, praefatum militem et eius haeredes seu legitimos suos successores ab omni nostra et ecclesiae nostrae impetione nobis et ecclesiae nostrae occasione dicta-

rum decimarum quomodolibet competente quitos et absolutos penitus proclamamus, approbantes concorditer ex nostra certa et omnium nostrorum scientia praescriptum per eundem militem eiusque progenitores titulum possessionis dictarum decimarum pro pensione annua tam ordei quam pecuniae supradicta ac volentes, quod idem miles et eius haeredes ab hac hora in antea dictas decimas tam antiquas quam novas totalis insulae praedictae una cum quadam parva decima novali cuiusdam haereditatis sitae in opposito oppidi Gritensis ibidem cum uno fine supra Mynnam, de qua quidem haereditate comes Clivensis nunc se intermittit, habeant a nobis et ecclesia nostra sive eam per alluvium dilatari contingat sive minui, ac possideant in perpetuum pacifice et quiete pro dicta annua et haereditaria pensione duodecim maldrorum ordei mensurae Kalkerensis, pactum et debitum complete valentes singulis annis in festo beati Martini episc. hiemalis nunc proximo a data praesentium futuro anno tunc revoluto neconon pro dictis annuis et haereditariis redditibus quindecim marcarum dictorum denariorum pro media parte in eodem festo bti. Martini hiemalis et pro residua media parte in festo bti. Petri ad cathedram deinde proxime subsequenti et sic deinceps singulis annis etc.

In cuius rei testimonium tradidimus eidem militi et suis haereditibus seu legitimis successoribus has literas sigillo ecclesiae nostrae maiori communitas. Actum et datum in vigilia omnium sanctorum anno dni. millesimo trecentesimo septuagesimo.

Ex libro quondam notarii.

Nr. V.

1383 Februar 25. — Graf Adolph von Cleve schiedsrichtet zwischen dem Stift Wissel und der Gemeinde Grieth rücksichtlich der Seelsorge in letzterer.

1418 Juni 30. — Die Stadt Grieth lässt die Vereinbarung durch einen Notar transsumiren.

In nomine sanctae et individuae trinitatis patris et filii et spiritus sancti amen. Ad perpetuam rei memoriam nos Adolphus comes Clivensis notum facimus universis tam praesentibus quam futuris, quod cum dudum inter dilectos nobis decanum et capitulum ecclesiae nostrae Wisschellensis eorumque curatum parte ex una ac inter magistrum civium, scabinos, consules ac oppidanos universos in Griet utriusque

sexus homines, quod ad ecclesiam praedictam in Wisschel tamquam ad parochialem et matricem ecclesiam super sacramentis ecclesiasticis et ipsis ministrandis semper et ab antiquo spectare consueverint, quaedam materia questionis mota fuerit et suborta ipsique parochiani diu desideraverunt et affectent fieri quandam ordinationem et aliqualem distinctionem de huiusmodi iure ecclesiastico sive parochiali et apud nos et decanum et capitulum ecclesiae nostrae Wisschellensis praedictae precibus institerunt instantivis, tandem dictae partes paci et concordiae intendentes nos tamquam in arbitrum arbitratorem et amicabilem compositorem compromiserunt, ita quod quidquid nos in viam amicabilis compositionis inter dictas partes ad sedandam omnem materiam questionis et ad pacificandum et concordandum pronuntiaverimus, dictaverimus et sententiaverimus, hoc dictae partes ratum et firmum habere deberent, laudare et approbare. Unde nos habito super huiusmodi materia et omnibus ad eam spectantibus seu iam concernentibus maturo consilio bene deliberati cum jurisperitis ac aliis nostris amicis et consiliariis accedente ad hoc consensu et voluntate libera dictarum partium ac etiam dni Henrici curati in Wisschel necnon Nicolai capellae in Griet capellani et investiti talem fecimus inter ipsos ordinationem, prout sequitur, in haec verba. In primis quod curatus in Wisschel ex nunc in antea habebit omnia et singula, quae sibi competunt seu deputata sunt secundum tenorem privilegii alias ordinati per decanum et capitulum antedictos, quod in suo vigore et robore permanebit, exceptis tamen iure quatuor marcarum reddituum annalium, quos magister civium et oppidani in Griet ipsi curato in Wisschel solvere consueverint et dimidietate proventum ipsius curae, prout hoc inferius exprimitur. Item capellanus seu rector capellae in Griet, qui pro tempore fuerit, habebit sedecim marcarum redditus annales brabant. denariorum et legalium, cum quibus redditibus ipsi magister civium et oppidani in Griet ipsam capellam dotaverunt, accedente ad hoc consensu et voluntate dominorum decani et capituli praedictorum, prout hoc in litteris super hoc confectis continetur evidenter. Qui quidem capellanus in Griet emolumenta quaecunque sibi in Griet provenientia condividet aequaliter et fiducialiter cum curato in Wisschel, ac emolumenta, quae derivantur de petitione sancti Petri et aliorum questorum cedent curato soli, oblationes vero in Griet cedent decano et capitulo in Wisschel ac curato ibidem pro porcione sua, violatio autem festorum ac correctio de mulieribus in fornicatione aut

in consanguinitate vel adulterio purificandi seu intronizandi una cum iudicio spirituali ad decanum pertinebit, quemadmodum hactenus haec consueta sunt et observata. Propterea capellanus in Griet propter inopinatos casus possibiliter eventuros habebit mansionem in Griet et residentiam ibidem faciet personalem celebrando et officiando, confessiones audiendo, ecclesiastica sacramenta ministrando temporibus opportunis tamquam capellanus nomine decani et capituli necnon ipsius curati in Wisschel, nisi aliquis ab ipso curato in Wisschel sua sacramenta recipere voluerit, quod hoc quilibet libere facere poterit absque contradictione ipsius capellani in Griet et absque ulla captione, facietque idem capellanus in Griet iuramentum fidelitatis, obedientiae et reverentiae tam decano quam curato in Wisschel super fideli reportatione et inviolabili observatione omnium praemissorum, prout ipsum concernunt seu contingunt, ad quod successores ipsius quicunque tenebuntur, antequam ad dictum capellanatum admittantur. Item si ex legato seu donato aut ex alia quacunque causa dictam capellam in Griet in bonis, proventibus seu redditibus augmentari contingat, ipsorum bonorum et reddituum dispositio et ordinatio ad nos comitem et decanum et capitulum et ipsum magistrum civium in Griet praedictum pertinebit convertendorum in usus necessarios, in quos eos duxerimus convertendos. Praeterea ipsi magister civium et oppidani in Griet totaque universitas oppidi in Griet nihil de cetero penitus acceptabunt seu facient aliquid, quod reprehensione dignum sit, contra matricem ecclesiam suam in Wisschel; volumus enim ipsam ecclesiam nostram in jure suo et honore ac libertatibus permanere, nisi aliquid per nos ex rationabilibus causis nos moventibus aliter contigerit ordinari, dubiis quoque in praemissis forsitan inter ipsos erigentibus declarationi nostrae reservatis.

In quorum omnium testimonium, robur et firmitatem nos Adolphus comes Clevensis sigillum nostrum praesentibus mandavimus appendi et est appensum, nosque decanus et capitulum ecclesiae Wisschellensis praedictae capituli sive ecclesiae nostrae et nos magister civium ac oppidani in Griet nostrae universitatis, egoque Henricus de Aquis, curatus ecclesiae parochialis sive curatae in Wisschel, pro me et meis successoribus meum necnon ego Nicolaus Wrede, capellanus, rector sive investitus capellae in Griet, pro me et meis successoribus in praedicta capella meum, quia ad praemissa omnia et singula et prout nos omnes et quemlibet nostrum universaliter

et singulariter concernunt, ad observationem eorundem et cuiuslibet praemissorum nos firmiter obligavimus et praesentibus obligamus praemissam ordinationem ac pronuntiationem dicti domini nostri laudantes et approbantes sigilla nostra ex certa nostra et omnium nostrum scientia duximus una cum sigillo dni. nostri comitis Clevensis praedicti praepenso praesentibus litteris appendenda et sunt appensa.

Datum et actum praesentibus strenuis venerabilibus et honorabilibus viris dominis Wilhelmo de Rees. Theoderico de Hessen, Henrico de Warthusen, militibus, Godefrido de Rees decano, Godefrido Heymeric scolastico, Conrado Arnoldi curato, canonicis ecclesiae Clevensis, Ottone de Bylant seniore, Henrico de Hackvort, Arnolodo Snoeck, armigeris, necnon Adolpho de Zuytkamen, reddituario dni. comitis Clevensis, ac aliis pluribus fide dignis testibus ad praemissa vocatis et rogatis sub anno dni. millesimo trecentesimo octagesimo tertio crastino beati Mathiae apostoli.

Ex libro quondam notarii.

In nomine domini amen. Noverint universi et singuli hoc praesens transsumptum seu transcriptum visuri seu audituri, quod sub anno nativitatis eiusdem millesimo quadringentesimo decimo octavo indictione undecima secundum stilum et consuetudinem civitatis et dioc. Colonien. die Jovis ultima mensis Junii etc. in mei notarii publici . . . praesentia personaliter constituti honorabiles et discreti viri Henricus van den Haghe magister civium [Arnoldus van der Kulen judex], Henricus Genser, Gherardus van den Pol, Theodericus Monick, Conradus Busch, Jacobus de Specken, Johannes Aelberti, scabini, Johannes Vischer etc. consules oppidi Griten. Colon. dioc. habentes et in suis manibus tenentes quandam patentem apertam litteram in franceno conscriptam, sanam et integrum etc. quinque veris et integris sigillis illorum, quorum esse dicuntur, ut prima facie apparuit, sigillatam, quorum primum sigillum fuit sigillum rotundum in cera rubea, in cuius circumferentia haec scriptura sculpta erat: Sigillum Adolphi comitis Cleven., in medio ipsius sigilli sculpta erat galea cum capite bovis subtus cum clipeo Cleven., in cuius cono corona cornubus fuit circumducta. Secundum vero sigillum eidem litterae appensum fuit oblongum in cera viridi, in cuius circumferentia sculpta erat haec scriptura: Sigillum ecclesiae sancti Clementis in Wisschel, in cuius

medio sculpta erat imago hominis stantis cum libro et cum baculo in manibus. Tertium vero sigillum eidem litterae appensum fuit sigillum magnum et rotundum in cera viridi, cuius circumferentia, qua scriptura sculpta fuit, quasi undique fuit depressa, et in eius medio sculpta fuit turris cum duobus castellis muro circumducta. Quartum vero sigillum eidem litterae appensum fuit rotundum et parvum in cera viridi, in cuius circumferentia sculpta erat haec scriptura: Sigillum plebani in Wisschel, in cuius medio sculpta fuit imago hominis habentis anchoram in manu. Quintum vero sigillum eidem litterae appensum fuit parvum et rotundum in cera viridi, in cuius circumferentia sculpta erat haec scriptura: Sigillum cancellarii in Griet et in medio eius imago hominis habentis clavem in manu. Quamquidem litteram memoratam iudex, magister civium et consules mihi notario publico infrascripto exhibuerunt et ad manus meas tradiderunt supplicantes et me cum debita instantia requirentes, quatenus dictam litteram originalem ad me recipere et examinare vellem et eandem transsumere, transcribere seu copiare et in publicam formam redigere vellem, cum praefati iudex, magister civium, scabini ac consules oppidi iamdicti huiusmodi littera originali in diversis locis uti haberent et necessarie indigerent, ad quae loca ipsam litteram originalem propter guerrarum pericula et viarum distantiam transmittere seu destinare non auderent.

Unde ego notarius infrascriptus etc.

Acta sunt haec in oppido Gritensi in ecclesia ibidem . . . praeSENTIBUS ibidem honorabilibus et discretis viris dno. Henrico Malys, pastore in Kuytzlar, et Everardo Loeff layco Colon. dioc. testibus fideiDignis ad praemissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Wilhelmus etc.

Nr. VI.

1413 Februar 8. — Ritter Everhard von Wissel vermehrt die Einkünfte des S. Luthardus-Altars in der Stiftskirche zu Wissel um jährlich fünf Schild.

In nomine domini amen. Noverint universi et singuli hoc praesens publicum instrumentum visuri seu audituri, quod sub anno nativitatis eiusdem M. CCCC. decimo tertio inductione sexta secundum stilum etc. mensis Februarii die octava hora vesperarum etc. in mei notarii etc. constitutus venerabilis et

circumspectus vir dns. Everardus de Wisschel miles Colon. dioc. sollicitus, ut videbatur, de salute animae suae suorumque parentum etc., matura, ut asseruit, deliberatione praehibita, non vi, metu, fraude seu dolo aut aliqua machinatione frivola seductus aut circumventus, sed ex spontanea et libera voluntate ad omnipotentis dei, beatae Mariae virginis celerorumque omnium supernorum honorem bona sua transitoria in aeterna felici commercio commutando etc. in subsidium et in augmentum perpetuae dotis cuiusdam altaris in honorem sancti Luthardi, fundatoris ecclesiae collegiatae Wisschelensis Colon. dioc. et in eadem situati, in et ad usus sustentationis rectoris pro tempore altaris saepedicti, ut cultus divinus per eundem uberiorum in eadem augeatur, cessit, dedit, donavit, transtulit et donatione perfecta inter vivos sine spe revocandi haereditarie assignavit et deputavit quinque scudata antiqua boni auri justique ponderis monetae regis Franciae vel imperatoris seu eorum verum valorem in alia moneta exigenda, levanda, tollenda et percipienda haereditarie perpetuis futuris temporibus pro rectore pro tempore altaris supradicti singulis annis in quolibet festo nativitatis Christi ex nunc in antea ex quibusdam decimis suis sitis in parochia Wisschellensi, quas quidem decimas idem dns. Everardus miles donator possidet, habet et tenet pro annuo et haereditario censu ab ecclesia Wisschellensi memorata tali apposita conditione, quod quicunque dicti altaris rector pro tempore exstitit, quod idem actu sit presbyter et ad ordines promotus sacerdotiales, personalem residentiam inibi continue faciendo et singulis septimanis tres missas congruis temporibus in iamdicto altari celebrando. Quodque etiam si dicti altaris rector residentiam huiusmodi non fecerit personalem, ut praemittitur, neque in ordine sacerdotali constitutus, extunc praelabiti venerabiles domini decanus et capitulum ecclesiae praenarratae praefata quinque scudata libere apprehendent, tollent, levabunt et ad se recipient, contradictione cuiuscunq; non obstante, et praetactas tres missas praesertim ex illis quinque scudatis vel eorum valore dumtaxat fieri procurabunt et celebrari, redditibus, juribus et obventionibus altaris saepedicti ab olim et ante praesentis instrumenti confectionem eidem incorporatis per eosdem venerabiles dominos occasione negligentiae memoratae minime tollendis et arripiendis; illud vero, quod superest, in subsidium reddituum dicti altaris cedet et augmentum. Etiam si dicti altaris rector pro tempore presbyter et residentiam faciens, ut praemittitur, personalem

huiusmodi tres missas qualibet septimana non compleverit nec continuaverit per se, alium vel alios easdem negligendo, totiens quotiens idem rector negligens in praelibatis suis missis repertus fuerit in parte vel in toto, pro qualibet huiusmodi missa sic neglecta, missis saltem celebratis secundum valorem quinque scudatorum missis celebrandis aequaliter applicandarum secundum cursum integri anni de quinque scudatis antiquis praedictis prius solutis cadet in poenam, videlicet in illam partem ex dictis quinque scudatis, sic ut praefertur, remanentem et missis neglectis et postmodo celebrandis secundum numerum earundem missarum neglectarum aequaliter applicandarum. Quamquidem poenam videlicet illam partem sic remanentem decanus et capitulum saepenominati ex huiusmodi quinque scudatis percipient, tollent et levabunt, missam seu missas sic neglectas exinde fieri procurabunt salvis semper consuetudinibus et statutis praefatae ecclesiae hucusque habitis et observatis.

Fragment ex libro quondam notarii.

Nr. VII.

1434 August 25. — Erzbischof Diedrich von Köln genehmigt die zwischen der Mutterkirche in Wissel und der Tochterkirche in Grieth getroffene Vereinbarung.

Theodericus dei gratia sanctae Colon. ecclesiae archiepiscopus, sacri imperii etc. universis et singulis tam praesentibus quam futuris, praesertim his, quos infrascriptum tangit negotium seu tangere poterit quomodolibet in futurum, salutem in dno. sempiternam.

Cum pridem exorta discordiae materia inter devotos nostros dilectos honorabiles decanum et capitulum collegiatae ecclesiae in Wisschel dictae nostrae dioc. ac vicecuratum ibidem ex una et magistrum civium, consules et communitatem oppidi in Griet parte ex altera super baptismi et extremae unctionis sacramentorum ministerio, in quorum videlicet altero locorum praedictorum, et a quo ministrante, an scilicet a dicto vicecurato in Wisschel an potius a capellano seu rectore capellae ibidem in Griet, quae ut filia sub matrice ecclesia de Wisschel esse dinoscitur, praedicta sacramenta inquilinis dicti oppidi seu villagii debeant ministrari, partes praefatae hinc inde, quantum in eis fuit, secundum quod temporis et negotii qualitas et hinc inde publica utilitas exegit super controversiis praedictis occa-

sione praemissa exortis infrascripti tenoris concordiam a via iustitiae non aberrantem mutuo consensu conceperint, tractaverint et inierint, ut accepimus, nobis instantia diligenti suppliarunt, quatenus, ut ipsius concordiae effectus canonice firmetur et futuris perpetuis temporibus roboris obtineat firmitatem et inviolabiliter observetur, nostra autoritate metropolitica et ordinaria eandem concordiam confirmare, ratam habere et autorizare dignaremur in forma, quae sequitur inferius descripta. Videlicet quod capellanus in Griet emolumenta quaecunque sibi ibidem in Griet ratione suae capellaniae provenientia condividet aequaliter et fiducialiter cum vicecurato in Wisschel. Et similiter campanarius in Griet aequaliter dividet omnia accidentia sibi ibidem ratione officii huiusmodi campanariatus provenientia cum campanario in Wisschel. Et emolumenta quae derivantur de petitione sancti Petri et aliorum questorum cedent vicecurato soli quodque oblationes in Griet cedent decano et capitulo in Wisschel ac curato ibidem pro portione sua. Praeterea capellanus in Griet propter inopinatos . . . [wie in Urk. V. S. 161] prout ipsum concernunt seu contingunt. Et quod pro subventione competentiae suaे, quam forsan diminutam asserere posset, omnino nihil ab ipso decano et capitulo aut vicecurato in Wisschel ullo umquam tempore possit aut beat postulare. Ad quod successores ipsius quicumque tenebuntur, antequam ad ipsum capellanatum admittantur. Nec etiam ipsi magister civium, scabini, consules aut oppidani in Griet ex ea vel consimili causa ab ipsis decano et capitulo seu vicecurato in Wisschel umquam in subsidium competentiae capellani quidquam exigent vel requirent. Et quod per huiusmodi concordiam seu ordinationem accidentales proventus vicecurato matricis ecclesiae in Wisschel cedere consuete diminui videantur, ipse vicecuratus exinde, prout visibiliter appareat, competentiae suaे detrimentum quodammodo patiatur, idecirco illustris dns. Adolphus dux Clivensis, cui ratione sui iuris patronatus, quod habere dinoscitur, in praescriptis locis sollicitudinis onus, respectusque specialis in hoc casu incumbit diminutioni et detimento praedictis remedio subvenire cupiens opportuno, vicariam altaris sancti Johannis baptistae in ecclesia Wischellensi situati, cuius Petrus Pont sacerdos rector modernus existit, in usus vicecurati in Wisschel pro tempore existentis et cuiuslibet futuri, quem decanus et capitolum ipsius ecclesiae Wischellensis praedictae ad hoc deputaverint, pro se et suis successoribus et haeredibus in perpetuum de consensu nostro duxit assignandum et iam

assignavit, prout in certis suis patentibus sigillatis litteris vidi-
mus contineri, sic quod de cetero nec ipse dux nec successores
aut haeredes sui ullo unquam tempore ex nunc in antea ad
altare praedictum quemquam praesentabit nec de vicaria seu
altari huiusmodi aliquam aliam dispositionem faciet, sed eius
redditus, proventus et obventiones cedent semper vicecurato in
Wisschel pro tempore existenti, quem ad hoc decanus et capi-
tulum praedicti duxerint ordinandum ordinatumque seu consti-
tutum destituere et alterum ordinare seu constituere, totiens
quotiens videbitur eis expedire, praefato dno. duce aut suc-
cessoribus ad hoc minime requisitis, salvo Petro Pont praedicto
sub jure quamdui huiusmodi altaris rector seu possessor exti-
terit, post cuius mortem seu liberam resignationem vel cum
alias ipsum altare praedictum quoque vacare contigerit, vice-
curatus in Wisschel pro tunc existens suique successores vice-
curati ibidem continuo ipsius altaris rectores et possessores
erunt in perpetuum. Ipsique decanus et capitulum erunt solliciti,
ut non fiat negligentia ministerii per rectorem ipsius altaris
debiti, prout hoc in eius fundatione poterit apparere; super
quo, quantum in nobis est, eorum conscientias oneramus.
Praeterea ipsi magister civium ac oppidani in Griet totaque
universitas oppidi in Griet nihil penitus de cetero attemptabunt
seu facient aliquid, quod reprehensione dignum sit, contra
matricem ecclesiam suam in Wisschel et si, quod absit, quid-
quam contra aut ultra concordiam seu ordinationem hanc aut
eius articulos per ipsos magistrum civium, scabinos, consules,
oppidanos aut aliquem alium seu alios eorum nomine attemp-
tatum seu factum sit seu attemptari vel fieri contigerit, hoc
nullius sit et est et erit roboris vel momenti.

Nos vero supplicationi praedictae tanquam rationali et
iustae paterna provisione pie annuere volentes, salvis nobis et
ecclesiae nostrae privilegiis et iuribus quibuscunque, concordiam
superscriptam, sic ut praefertur, partium communis consensu
emologatam ratam habendo admisisimus ac nostra autoritate
metropolitica et ordinaria harum litterarum nostrarum serie et
tenore autorizamus et confirmamus, mandantes eandem per et
inter partes antedictas sub excommunicationis et mille floreno-
rum Renensium per partem contravenientem irremissibiliter exsol-
vendorum et iuxta nostrum aut successoris nostri arbitrium
applicandorum poenis perpetuo inviolabiliter observari.

In quorum omnium et singulorum praemissorum testimonium
atque fidem sigillum nostrum duximus praesentibus ob perpe-

tuam dictarum compositionis et concordiae ac rei gestae memoriam appendendum. Et nos Adolphus dux Clivensis, sub cuius dictione et dominio partes praedictae moram trahunt, recognoscentes praemissa, sicut praenarrantur, gesta et actitata sigillum nostrum etiam praesentibus apponi fecimus in evidenter testimonium eorundem, ea pro nostro interesse laudando et approbando. Nosque decanus et capitulum antedicti praemissa consimiliter laudantes, ratificantes et approbantes litteras huiusmodi in maius robur eorum sigillo dictae ecclesiae nostrae communivimus et consimiliter nos magister civium, consules, oppidani et communitas memorata easdem litteras sigilli nostri appensione cum ratificatione praemissorum fecimus communiri.

Datum anno dni. millesimo quadringentesimo tricesimo quarto in crastino beati Bartholomei apostoli. De et super quibus omnibus et singulis suprascripti dni. decanus et capitulum necnon magister civium, scabini et consules memorati petierunt sibi per me notarium publicum infrascriptum hoc praesens publicum fieri transsumptum, transcriptum et exemplar.

Acta sunt haec in ecclesia collegiata Wisschellensi supra dicta in loco eorum capitulari ibidem consueto praesentibus ibidem honorabilibus et discretis viris dno. Nicolao de Heze presbytero vicario et Johanne de Deynanto artium magistro rectore scolarium ecclesiae Wisschellensis antedictae, testibus fide dignis Colon. et Leodicens. dioc. ad praemissa vocatis specialiter et rogatis.

Ex libro quondam notarii.

